SACRAE ET ECCLESIASTICAE
PROPOSITIONES
IN COMITIIS GENERALIBUS,
Regii ac Militaris Ordinis B. M. V. de MERCEDE,
Redemtionis Captivorum.

TOLETI CELEBRANDIS,

PROPUGNANDAE
PRO VALENTINA PROVINCIA

A P. F. EMMANUELE MARCO,
SACRAE THEOLOGIAE, ORCELLAE PROFESSORE.

ADSISTENTE

P. P. F. AUGUST. CABADÈS MAGÌ,
DOCTORE, PROFESSORE AC CENSORE VALENTINO.

LOCUS CERTAMINIS
ERIT TOLETANI CONVENTUS TEMPLUM.
DIE XXVIII. MAII, ANNO MDCCLXXVI.

VALENTIAE HEDETANORUM:
IN OFFICINA BENEDICTI MONFORT.
M. DCC. LXXVI.



Monfort fecit. Val.ª

9

CAROLO. BORBONIO

CAROLI. III

HISPANIARUM. REGIS
FILIO. PRIMOGENITO. CELSISSIMO
ASTURIARUM. PRINCIPI
MAGNI. PATRIS. MAGNO. FILIO
PATERNAE. GLORIAE. PATERNARUMQUE
VIRTUTUM. OMNIUM
RELIGIONIS. SAPIENTIAE. MAGNANIMITATIS
NON. MINUS. QUAM. REGNORUM. CLARISSIMO. HAEREDI
BELLI. PACISQUE. ARTIBUS. ORNATISSIMO
OB. EXIMIAS. REGALESQUE. PRORSUS. ANIMI. DOTES
OB. BONARUM. ARTIUM. ET. LITTERARUM. PATROCINIUM
ATQUE. IN. DOCTOS. ET. PROBOS. HOMINES. BENEFICENTIAM
OB. RERUM. QUARUMCUMQUE. PRAECLARISSIMARUM
IN. FLORENTISSIMA. ADOLESCENTIA. STUDIUM
TOTI. TERRARUM. ORBI. SPECTATISSIMO
AC. IDEO. AD. HISPANORUM. OMNIUM. PRAESIDIUM
DECUS. ET. FELICITATEM. UNICE. NATO
PROVINCIA. MERCEDARIORUM. VALENTINA
IN. COMITIIS. GENERALIBUS. TOLETI. CONGREGATA
MUNIFICENTISSIMO. PRINCIPI. AC. DOMINO
PRO. SUMMIS. EIUS. IN. TOTUM. ORDINEM. PROMERITIS
THEOLOGICAM. DISPUTATIONEM
EX. UNIVERSA. ERUDITIONE. ECCLESIASTICA. SACRAQUE
COMPOSITAM
HONORIS. GRATIQUE. ANIMI. CAUSA

L. M. Q. D. D. D.

Hortor, ut valeo, ut literarum verè certèque sanctarum studio te curam non pigeat impendere. Sincera enim, & solida res est, nec fucatis eloquiis ambit ad animum, nec ullo linguae tectorio, inane aliquid, ac pendulum crepitat. Augustinus, Epist. CXXXII. ad Volusianum, olim I.

Debet unusquisque, non pro eo quod semel ebiberat, & tenebat pertinaciter congredi: sed si quid melius, & utilius extiterit, libenter amplecti: NON ENIM VINCIMUR, QUANDO OFFERUNTUR NOBIS MELIORA, SED INSTRUIMUR. Cyprianus in Epist. ad Quintum, quae est LXXI.

PRAELOQUIUM

AD ARGUMENTATORES.

Operae in Theologicis ſtudiis à nobis impenſae rationem reddere, atque eorum, quos in hac arena fecerimus, progreſſuum ſpecimen aliquod in graviſsimo doctiſsimorum Virorum conſeſſu exhibere adgredimur. Hoc conſilio Theologicae doctrinae fontes, & communes, quos dicunt locos, his theſibus principio deſignamus, eorumdemque adſerimus vim, & auctoritatem. Sacram deinde Hiſtoriam, Chriſtianaeque Eccleſiae faſtos decurrentes, quae ad Theologorum tractationem pertinere viſa ſunt ſelegimus, atque huic, quam inſtituimus, diſputationi ſubiicientes, praeter praecipua catholicae doctrinae capita, quamplurimas complectimur ad Chronologiam, ad Hiſtoriam, ad Artem Criticam, ad alias item diſciplinas, pertinentes propoſitiones. Opus quidem, ut noſtis, non parùm periculoſa plenum alea. Ea tandem omnia, quae Scholaſticae Theologiae vocabulo comprehendi ſolent, una placuit theſi concludere; univerſam S. Thomae Theologicam Summam adſerentes. Adſerentes, inquam, quantum ad ea pronuntiata, quae propriè Theologica ſunt: Quas enim in eadem Summa de rebus naturalibus oſtendemus propoſitio-

tio-

tiones ex Ariſtotelis, atque Arabum Philoſophia hauſtas propugnare, noſtrum non eſſe exiſtimamus. Illud etiam oppugnatores noſtros monitos volumus, viceſimam ſeptimam nos quaeſtionem tertiae Partis à noſtra diſputatione excluſam velle: itemque non illud nobis operis nos adſumturos, ut ſi qua in reliquis tot Angelici Doctoris ſcriptis reperiuntur, quae, vel in ſpeciem, eiuſdem Doctoris dictis in Summa Theologica contraria videantur, ea nos componere, atque in eamdem cogere ſententiam teneamur. Id nempe laboris illis dumtaxat dignum videtur, quibus non veritatem invenire, atque adſerere ſcopus eſt, ſed ingenii futilem quandam in his nihili rebus oſtentare dexteritatem & vim. Quicumque igitur adverſus aliquam Summae Theologicae propoſitionem ſit argumentaturus, adſertum ipſum S. Thomae principio adducet, quod impugnare conatur: Illud tunc in Summa Theologica nos legemus, atque in eius expoſitionem, propugnationemque, quantum in nobis ſit & ingenii, & operis adhibebimus.

QQ.PP.

QQ. PP.

I.

Capitalia adſerta in S. Thomae Doct. Ang. Summa comprehenſa, prout exigui ingenii mei vires patiuntur, defendam.

II.

Fr. Iohan. Franciſci Mariae de Rubeis, Ordinis Praed. Diſſertationem, de Summa Theologica eiuſdem Sanc. Doc. in Venet. Editione praefixam, in tanti Doctoris laudem, vindicabo.

III.

Divum Auguſtinum, Divo Thomae, eiuſque Angelicae Scholae ſecundis curis conciliatum, in Quaeſt. de Gratia primi hominis, & Angelorum, opera & ſtudio Fr. Iacobi Hiacinthi Serri, Ord. Praed. Doct. Sorbonicae, & in Academia Patavina primarii Sacrae Theologiae Profeſſoris, ſuſtinebo.

IV.

In Catechiſmi Romani recomendationem propugnabo Diſſertationem Fr. Antonii Reginaldi, Ord. Praed. in Academia Toloſana Anteceſſoris, unico tomulo comprehenſam.

AD SACRAM DOCTRINAM

THEOLOGICUS APPARATUS.

SCRIPTURA SACRA.

I. NIHIL maturius cogitandum est praeter Scripturam Sacram, cuius auctoritas innixa est super ipsum Deum.

II. Deus sic loquutus est per os Prophetarum Sanctorumque eius, ut neminem decipiat, aut decipere queat.

III. Spiritu Sancto afflante, & impellente Divinos Libros, Auctores Sacri conscripsere, nihilque veritati dissonum memoriae mandarunt.

IV. Sacrorum Librorum existentiam validissima argumenta conficiunt, ut numquam perierint saevientibus persecutionibus, multiplicatisque captivitatibus.

V. Canonicos & Proto-Canonicos Libros constituere, Ecclesiae compellit auctoritas gravissimis rationibus ducta.

VI. Ipsamet in Tridentino Concilio congregata Sacrorum Librorum numerum nobis proposuit, & definivit de re tanti momenti omni dubitatione deposita.

VII. Textus Hebraicus, Versio Graeca 70. Interpretum, atque Latina Vulgata, tres sunt hodie apud Catholicos illustriores Codices.

VIII. Licet Hebraici textus castitatem plurimum commendemus, nobis tamen persuasum est leviora quaedam in eum irrepsisse menda.

IX. Versionem Graecam sinceram esse probat utriusque Ecclesiae consensus, maxime ad usque D. Hieronymi tempora.

X. Concilii Tridentini Doctissimi PP. Vulgatam Versionem authenticam declarantes, Hebraeorum Graecorumque Codicum limpidissimos fontes in sua auctoritate reliquerunt.

XI. Sacrarum Scripturarum nuda & adcurata in vulgarem linguam conversio ardua res eſt, nec quiſpiam poteſt ſuo fretus ingenio hanc ſpartam ſuſcipere.

XII. Omnes veteris teſtamenti libri praeter illos, quos S. Hieronymus excepit, Hebraica lingua ſunt conſcripti.

XIII. Novi vero teſtamenti graecè conſcripti ſunt, S. Matthaei Evangelio excepto, utpote Syriacè exarato.

XIV. Senſus quos Scriptura Sancta patitur cum S. Thomae doctrina explicabimus.

XV. Sub eiſdem verbis multiplex litteralis ſenſus invenitur, ſed quandoque eius verba adeo ſunt obſcura, ut ipſis Scriptoribus Sacris non fuerit intelligentia revelata.

XVI. Ex ſenſu litterali argumentum ad ſolidam demonſtrationem omnino efficax deſumi debet, niſi cum rationis, aut Religionis effatis apertè littera pugnet.

XVII. Senſus metaphoricus firmum nobis non ſuppeditat argumentum, niſi teſtimonio divino, aut Eccleſiae perpetuo uſu receptus fuerit.

XVIII. Theologi nomine indignus eſt, qui veteris & novi Teſtamenti idea caret, quum olim Catecumeni ea eſſent praediti, priuſquam aquis Baptiſmi eſſent loti.

DIVINA TRADITIO.

I. PAri pietatis affectu à Theologo ſuſcipienda eſt Dei Traditio, ac ipſa Scriptura Sacra in ſuis dogmatibus luſtrandis, & argumentis conficiendis.

II. Certo certius eſt Eccleſiam eſſe antiquiorem Scriptura, fidem proinde ac Religionem ſine Scriptura conſtare.

III. Pleraque ſunt ad doctrinam Chriſti pertinentia; quae etiamnum in ſacris litteris non ſunt expreſſa.

IV. Immo & multa ſunt ad Chriſtianorum doctrinam & fidem ſpectantia, quae nec clarè, nec confusè in ſacris litteris continentur.

V. Queis rebus ſi addas, Apoſtolos maximis de cauſis à nobis ultro exponendis, alia quidem litteris, alia autem viva voce prodidiſſe; habes quatuor fundamenta ad Traditiones Chriſti & Apoſtolorum conſtituendas.

VI. Praedictae vero Traditiones quatuor praecipue viis inveſtigantur, quas Theologus optime tritas debet habere.

VII. Prima ſit à D. Aug. inventa Lib. 4. contra Donatiſtas, his verbis: Quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſsime creditur.

VIII. Secunda huic proxima: Si quod Fidei dogma PP. ab initio, ſecundum ſuorum temporum ſucceſsionem concordiſsime tenuerunt, idque

ex Scripturis non expreſſum , divinae traditioni acceptum referri debet.

IX. Tertia via : A Chriſto venire fidenter pronuntiamus , quidquid in Eccleſia communi fidelium conſenſione probatum eſt , dummodo id poteſtas humana efficere non poſsit.

X. Quarta : Dum viri Eccleſiaſtici uno ore teſtantur aliquod dogma divinum & Apoſtolicum ab Apoſtolis accepiſſe , certiſsime tenendum eſt.

XI. Traditionum non ſcriptarum neceſsitatem & auctoritatem , Sacra Scriptura , SS. PP. communis doctrina , conſtans & perpetua invictiſsime demonſtrat.

XII. Traditiones mutationi ſunt obnoxiae , quae diſciplinam , coeremonias , externamque politiam , non quae Fidem , & moralis Chriſtianae regulas ſpectant.

VERA CHRISTI ECCLESIA.

I. SPonſa eſt à Chriſto Domino exornata , inſtituta ſanctiſsimis exemplis , veris legibus & doctiſsimis praeceptis inſtructa.

II. Haec eſt quae omnes ad ſe vocat & amplectitur in ſuo ſinu quoſcumque à Chriſto nomen habent & caracterem , fortes , debiles , iuſtos & iniquos.

III. Eccleſia Chriſti una eſt , vera , ſancta , catholica , apoſtolica , viſibilis , indefectibilis , adverſus quam portae inferi non praevalebunt.

IV. Extra eam non eſt quaerenda Religio , nec aliquis poteſt eſſe ſalvus , niſi eam fuerit ingreſſus.

V. Quidquid Eccleſia tamquam Fidei dogma tenet , verum eſt , nec quidquam falſum , quod illa aut credit , aut docet eſſe credendum.

VI. Indeficientiae privilegium quo gaudet Eccleſia , de antiqua , de praeſenti , deque futura intelligendum venit.

VII. Spritum veritatis ſempiternum , non tantum habet fidelium omnium collectio , ſed etiam Eccleſiae principes ac paſtores.

VIII. Arcendi ſunt à ſuis tabernaculis haeretici vocati publici , ſchiſmatici , excommunicati , & cathecumeni etiam illi , qui in competentium numero habentur.

IX. Cavendum eſt , ne Chriſti Eccleſia cum Synagoga confundatur, ſemperque eſt prae oculis habendum , in quo illa iſtam excedat.

X. Demum licet Eccleſia in triumphantem , militantem & purgantem diſtinguatur, de Eccleſia tantum militante ſermonem inſtituimus.

ECCLESIA IN CONCILIIS.

I. DUm Epiſcopi in aliquem locum congregantur ad fidei morumque cauſſas ttactandas , Concilium appellamur.

II. Concilia ſunt Generalia , Nationalia , Provincialia & Dioeceſana, quo-

quorum nomina ſatis indicant viros, ex quibus coaleſcunt.

III. Conciliis Generalibus intereſſe debent omnes Epiſcopi totius orbis, niſi legitime impediti fuerint, dum ex Eccleſiae conſuetudine vocantur.

IV. Aliquibus Epiſcopis deficientibus, congregatio generalis dici popoteſt Concilium Generale, & tale nomen iure meritoque habere.

V. Conciliorum decreta, ſi ſunt iuris, & ad fidem & mores ſpectant, non ſunt temerè confundenda cum iis decretis, quae facti vel puri, vel cum iure connexi vocantur.

VI. Epiſcopi tamquam iudices divina ordinatione conſtituti interſunt Conciliis, reclament licet Theologi in hac re parum graves.

VII. Ex Eccleſiae privilegio admitti conſueverunt Cardinales, Abbates, Ordinumque Generales.

VIII. Sequendo mores reipublicae Chriſtianae, inſtitutae à Chriſto, laici quicumque à Conciliis ſunt excludendi.

IX. Conciliorum uſus non in humano tantum fundatur iure, ſed in Verbo Dei ſcripto & tradito.

X. Conciliorum praeſertim generalium qualis ſit auctoritas, ipſa Eccleſia docet, non vocans in iudicium cauſſas in Conciliis generalibus agitatas & definitas.

ROMANA ECCLESIA.

I. HAEC eſt caeterarum Eccleſiarum caput, & magiſtra, quae ſemper eſt in magna veneratione habita ob eius ſanctitatem & doctrinam.

II. Qui in ea praeſt, Rom. Pontifex appellatur, Vicarius Chriſti, Eccleſiae caput, ſupremus controverſiarum iudex.

III. Ad ipſum convolant Eccleſiarum omnium Appellationes, quantum ex Hiſtoria Eccleſiaſtica repetere poſſumus.

IV. Sua iura amplisſima ſunt, & qui in Cathedra Petri ſedet, divino iure in eadem auctoritate & poteſtate ſuccedit.

V. Romani Antiſtis primatum qui impugnant, Conciliorum decretis ſine controverſia adverſantur.

VI. Divina ordinatione eſt Epiſcopus Romanus omnium Epiſcoporum primus ob honorem, dignitatem & iuriſdictionem.

VII. Decreta Pontificia circa fidem vel mores populo neceſſarias, antecedente Eccleſiae conſenſu, comitante, vel ſubſequente citra omnem dubitationis aleam ſunt infallibilia.

VIII. De fide non eſt iudicium Rom. Pontificis loquentis ex cathedra in rebus fidei & morum eſſe infallibile independenter ab Eccleſiae conſenſu.

SS. PATRES.

I. SIne dubio audiendi ſunt in Religionis controverſiis, ut Scripturae Sacrae clariſsimi interpretes, & traditionis cuſtodes incorrupti.

II. Legendi ſunt cum delectu, nec omnia eorum placita ſunt caecis oculis amplectenda, niſi regulae ſequentes obſerventur.

III. Prima: Si aliquam opinionem adfirmantes, contrariam habuerunt ut haereticam.

IV. Secunda: Si uſi fuerunt verbis profeſsiones fidei enuntiantibus, ut ſunt ſequentia: Credimus, profitemur, confitemur.

V. Tertia: Si in Catecheſibus, & Sermonibus ad Catechumenos, vel ad Neophitos, aliqua adſeruerint PP. vel inculcaverint ad credenda.

VI. Quarta nota eſt: Si ut primum adſerta ſunt illa dogmata, Epiſcopi & Concilia ut Haereticos damnaverint, qui contrarium ſenſerint.

VII. In diſceptationibus ſacris, non tantum priorum ſaeculorum PP. ſed etiam ſequentium Doctores audiendi ſunt.

VIII. Cuius auctoritatis dignus ſit unus Sanctus Pater, nervosè docet S. Thom. 1. p. q. 1.

AUCTORITAS DOCTORUM *Scholaſticorum.*

I. VErè Cl. Canus per Theologum Scholaſticum intellexit, qui de Deo rebuſque divinis, apte, prudenter, & docte è litteris inſtitutiſque ſacris ratiocinatur.

II. Theologi Scholaſtici munus tunc reapſe adimpletur, dum ex his quae fides docet, ea quae ſunt conſequentia naturae ratione conficit, de Deo rebuſque divinis.

III. Audiendi non ſunt plurimi moroſi cenſores ſcholaſticas quaeſtiones ſus deque reprehendentes, vel quia ambiguae ſunt, vel quia mentis noſtrae captum ſuperant.

IV. Scholaſtici Theologi auctoritas magna eſt, nec deſpici poteſt, ſi volumus, utipareſt, maioribus noſtris reverentiam exhibere.

V. In Scholaſtica diſputatione Theologo ſatis erit paucos viros, modo graves ſint, ſecum habere.

VI. Scholae placita communi omnium calculo probata, nemo ſine magno diſcrimine explodere poteſt.

VII. Concordem omnium Theologorum Scholae de Fide, aut moribus ſententiam contradicere, ſi haereſis non eſt, haereſi proximum habeto.

Iu-

VIII. Iuniorum Theologorum auctoritas despicienda est, dum doctrina sua ab antiquis discedunt, & se plus sapere praesumunt.

CANONICORUM ET CIVILIUM *Doctorum Auctoritas.*

I. CAnonicorum Doctorum auctoritas quanti sit Theologo facienda, hisce temporibus ostendunt Sapientissimi Viri, qui sacrae doctrinae studio, iuris canonici scientiam addiderunt.

II. Quum Canones sint Ecclesiasticae regulae Spiritus Sancti instinctu editae, nulli dubium sit Sacerdotes in hac facultate oportere esse peritos.

III. Canones Poenitentiales dicti ante oculos non dicam Theologi, sed cuiuslibet Christiani sunt assidue ponendi.

IV. Canones de Excommunicationibus, Suspensionibus, Irregularitatibus scire debent Animarum rectores, licet alterius facultatis onere graventur.

V. In his quae ad Fidem pertinent, Legisperiti à Theologis mutuari debent, ut quempiam haereseos crimine damnent.

VI. Etiam in his, quae ad mores spectant, rectam & sanam earum rerum notitiam Iurisperiti à Theologis accepturi sunt.

VII. Dum poenae iuris praefiniuntur, Iurisperitorum omnium communis consensus, concorsque sententia Theologo magnam Fidem facere debet.

VIII. Theologus si perfectus esse vult, ut Ius Canonicum, ita quoque Civile cum illo connexum vindicare debet.

IX. Leges Principum adeo sapienter ordinatae sunt, ut Ecclesia in suis caussis exequendis, eas prudenter adaptaverit.

X. Argumentum à Iure Civili ductum probabilissimum est tantum, illud maxime, quod à legibus Christianae Reipublicae usu probatum est.

DE RATIONIS USU IN REBUS *Theologicis.*

I. NObilissima animi nostri facultas appellatur ratio, cuius munus est perspicere, ac diiudicare quae ante oculos observantur.

II. Ratio scientiarum omnium fundamenta posuit, & argumenta suppeditat, quibus permoti credimus iugo Fidei subiiciendum esse.

III. Nulli dubium sit, quod si quis rationis usum adimere Theologiae velit, à fundamentis eam penitus evertit.

IV. Quidam nostrorum temporum viri, insane & monstruose Rationem

nem spectarunt tamquam regulam universalem, ad quam omnia dogmata referri debent.

V. Nec errore vacui sunt illi, qui existimarunt, nullum Rationi locum esse, dum de Fidei mysteriis agitur.

VI. Ad veritates naturales demonstrandas utile & necessarium est ad eas stabiliendas, Fidei Rationem adiungere.

VII. Veritates quae rationis lumine non cognoscuntur, & ratio eas habet ut maxime posibiles, facile consentimus.

VIII. Veritates rationis lumini visae contrariae, quum captum nostrum superent, non sunt rationibus manifestandae, sed semper sunt credendae, quamvis humanae rationis lumini adversari videantur.

IX. Christiani tenentur suae Fidei rationem reddere, non vero suorum mysteriorum, quae Philosophorum concertationes sua magnitudine respuunt.

X. Fidei meritum eo magis augetur, quo magis obiecta veritas revelata omnes mentis nostrae vires supergreditur.

QUAENAM PHILOSOPHIA sit Theologo utilis.

I. PHilosophiam callidis quaestionibus refertam, & Fidei simplicitati adversam à Schola Christiana eliminandam esse, ex D. Paullo viri gravissimi iudicarunt.

II. Illa Philosophia, quae cum primis Decalogi atque Evangelii praeceptis plane consentit, semper in veneratione fuit habita.

III. Ecclesia sua mysteria nominibus expressit, ab ipsis Philosophis inventis.

IV. Philosophia adiumento est, ut propositionum naturali ratione cognitarum veritas ostendatur, & penitus confirmetur.

V. Fatendum est cum M. P. Aug. cap. 27. de Doctrin. Christian. Dialecticam per se ipsam magno usui esse posse ad plerasque quaestiones dissolvendas, quae de sacrarum litterarum intelligentia suboriri queunt, & ad Religionis dogmata pertinent.

VI. Physicae necessitas ad Theologiam adeo explorata est, ut nemo possit fidem figere in praestantissima hac facultate, qui illa scientia caruerit.

VII. Si quis vero ex me quaerat, quem Philosophum in Theologia sectari habeamus? Cum Cl. Cano dicam: Quo quisque doctior & gravior est, eo est illius quidem, & probabilior auctoritas, & fidei dignius testimonium.

VIII. Rationes gravissimae fuerunt S. Thomae, ut summus Aristoteles videretur, sed numquam fuit eius errores amplexus.

HUMANA HISTORIA.

I. ERuditi omnes consentiunt lucubrationes Theologicas Historia non debere esse omnino vacuas.

II. Ex Historiae Humanae ignoratione in gravissimos errores Theologi non omnino indocti lapsi sunt.

III. Nullus Historicus certus esse potest ad faciendam certam in Theologia fidem, nisi Sacri Auctores privilegio indeficientiae praediti.

IV. Ex Historicis fide dignis probabile argumentum suppeditare possumus ad Theologicas theses corroborandas, & ad falsas adversariorum opiniones refellendas.

V. Theologus maxime advertere debet, si Historici graves & probati in eamdem rem gestam mirifice consentiant, ut eorum auctoritate Theologiae dogmata firma ratione constituantur.

VI. Auctoribus Ecclesiasticis antiquis honor maximus est deferendus, eorumque testimonia magna cum observantia excipienda.

VII. A veterum testimonio recedere piaculum est, nisi gravissimae rationes urgeant, multo magis nulla intercedente ratione.

VIII. Non licet antiquorum testimonia elevare responsis, quae scrupulum nobis aliquem iniiciant, vel quae hominibus iustis non arrideant.

IX. Quotiescumque nos premit, nobisque officit antiquorum testimonium, non licet circuitionibus uti, illius illudendi aut imminuendi caussa.

X. Vitium est Ecclesiasticorum PP. deferere auctoritatem, atque Haereticorum de re historica sequi vestigia, praecipue quum ad Religionis negotium referri potest.

XI. Postulat Fides, ne Auctoribus Ecclesiasticis sensa ab ipsis aliena adfingamus ad nostras opinationes tuendas.

XII. Adcuratae Critices regulis contrarium est, veras Auctorum sententias dissimulare.

XIII. AEquum non est immodicis laudibus antiquum Scriptorem, qui nobis suffragatur celebrare, alterius vero qui refragatur, auctoritatem aspernari.

XIV. Minus adcuratum institutum est, eadem priscorum scriptorum verba aliquando probare, deinceps non probare.

XV. Speciem praeseferunt aliquando Critici aevi nostri doctissimi, quasi de uberiori, quam Veteres doctrina sibi blandiantur.

XVI. Omissis aliis Critices regulis, solo rationis lumine formatis, libentissime adprobo tres illas, qua Mag. Canus Lib. 12. de Hum. Hist. Auct. cap. 6. praefixit vel cum Hereticorum plausu.

IPSA DOCTRINA SACRA
IN SEX MUNDI AETATIBUS.

PRIMA MUNDI AETAS.

I. MUndus fuit conditus primo vere, & non in autumno, anno periodi Iulianae 710. ut ex Chronologis erudimur.

II. Opificium ſex dierum explicat S. Thom. in 1. p. à q. 66. uſque ad quaeſt. 74. tanta claritate, ut fere nihil ei addere poſsimus.

III. In Geneſeos exordio, principii nomine poſſumus congrue Filium Dei intelligere, expoſitionem Sanctorum veterum ſequendo.

IV. Antiquis PP. longe probabilior eſt ſententia illa; quae per Spiritum Domini, Spiritum Sanctum deſignat.

V. Quamvis ex Scriptura conſtet, hominem ad imaginem Dei ſecundum Animam eſſe conditum, in quo ſita ſit, non eſt una Sanctorum PP. ſententia.

VI. An ſex dierum intervallo Mundus ſit conditus? Quaeſtio eſt, quae in utramque partem propter M. Parentis auctoritatem, agitari vehementer exopto.

VII. Paradiſus corporeus quidam locus fuit, oculis ac ſenſibus ſubiectus, arcanorum & ſpiritualium adumbrans rationes.

VIII. Probabilior opinio eſt eorum qui Paradiſum in Arabia Felice, vel Meſopotamia, aut circa Babylonem in Meſopotamiae limite collocatum eſſe exiſtimant.

IX. Paradiſi terreſtris exiſtentia, & cuius ſpeciei fuerit arbor ſcientiae boni & mali, pariter non eſt definitum.

X. Arbor vitae ab effectu nuncupata eſt, eaque arbor corporea licet ac ſpectabilis, ſimul erat Sacramentalis.

XI. Adamus primus omnium hominum fuit; illius corpus non androgynum; nec infantis aetate, aut gigantis ſtatura formatum; ex cuius coſta verè Eva producta eſt.

XII. Eva ſeducta à Doemone vere ſerpentis organo utente, non interna ſuggeſtione, ut Caietanus docuit.

XIII. Adamum fuiſſe ſeductum, merito ſuperbiae ſuae, S. Aug. docet, quamvis non eo ſeductionis genere, quo Eva.

Ada-

XIV. Adamum peccatum suum expiasse, demonstravit ex PP. Philippus Abbas Bonae Spei S. Bernardo coaevus.

XV. Insolens Lamechi exemplum, duas simul uxores ducens, Patriarchae qui ante Diluvium vixerunt, non sequuti fuere.

XVI. Ambulavit Enoch cum Deo, & non vidit mortem, licet Rabbini contrarium iudicent.

XVII. Librum Enoch à veteribus quibusdam laudatum, velut Apocriphum consultius alii reiecerunt.

XVIII. Carnium esum Ante-Diluvianis hominibus insuetum, etsi plerique PP. adserant, à Deo tamen prohibitum fuisse, ex Scriptura Sacra certò colligi non potest.

XIX. Non nisi per errorem adfirmare aliqui potuerunt, Angelos mulierum specie captos, strupi cum iis consuetudinem habuisse, & ex nefando illo concubitu ortos esse gigantes

XX. Verba Genes. 6. v. 3. *Eruntque dies illius centum viginti annorum*; non vitae durationem, sed temporis ante Diluvium hominibus ad agendam poenitentiam concessi, intervallum definiunt.

XXI. Hebraici textus Chronologiae potius est adhaerendum, quam 70. Interpretum calculis.

XXII. Annos Patriarcharum nostris esse pares, quis est qui non defendat, Scripturam Sacram si legit?

XXIII. Arcae amplitudinem, significationem, caeteraque ad ipsam pertinentia libenter explicabo.

XXIV. Diluvium fuisse universale, non Palestinae solius, sed totius terrae, qui causam meditatus fuerit, ultrò concedet.

XXV. Gratis adseritur aliquos ex eis, qui Diluvio perierunt, damnationem evasisse.

XXVI. Epoca Diluvii figenda est in anno Mundi 1656.

SECUNDA MUNDI AETAS.

I. Sanct. August. Semo primogenituram dedisse aliqui censent, sed nobis probabile maxime est Iaphetum esse praeponendum.

II. Praecepta sanctissima quae filii Noe receperunt, in Libro Iob ante legem Mosaicam conscripto adumbrata reperies.

III. Noemum in ipso Diluvio, nec in trecentis & quinquaginta annis, quibus Diluvio supervixit, filios non habuisse cum S. Chrysostomo defendimus.

IV. Eius ebrietas non solum innoxia, sed & mystica fuit propheticis gravata sensibus, & velata tegminibus.

V. A Natali Alexandro recedimus, adserendo Cainanum Arphaxadi filium in Vulgata editione numeratum non esse insitum.

VI. Babelicae turris aedificatores graviter peccarunt, eorumque superbiam ac fastum Deus linguarum confusione iuste punivit.

VII. Ex Babelica confusione, septuaginta linguas ortas fuisse censent PP. sed certum numerum definire non tam facile est.

VIII. Pristina ac primigenia lingua est Hebraica ipsi mundo coeva, in familia Heber conservata, sicque permansit.

IX. Divisio terrae non in ortu, sed in provectiori Phaleg aetate facta est.

X. Non absurdum est dicere idololatriam circa Abrahami nativitatem incepisse, licet eius originem ex Chami posteris cum universa Criticorum familia repetamus.

XI. Nativitas Abrahami ponenda est in anno 130. Patris sui Thare, licet aliqui iudicent natum fuisse anno 70.

XII. Promissiones Abrahamo datae sunt anno 70. vitae suae, & ex hoc anno sumendi sunt 430. anni, de quibus S. Paullus Ep. ad Gal. 3. v. 16. mentionem facit.

TERTIA MUNDI AETAS.

I. ABrahamus uxorem suam Saram absque mendacio sororem vocavit, eamque cum à Pharaone, tum ab Abimelecho Regibus intactam accepit.

II. Melchisedech Rex fuit Salem, qui panis, & vini oblatione, Sacrificium corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia adumbravit, ut constanter Catholici adserunt.

III. Quamvis totum illum terrarum tractum, qui ab Aegypti fluvio ad Euphratem interiacet, nusquam possederint Hebraici, stat nihilominus divinae promissionis veritas.

IV. S. August. contra Faustum, libidinis & intemperantiae notam ab Abrahamo abstergit, dum sese Agarae ancillae copulavit.

V. Absque temeritate adfirmari non potest, Circumcisionem ab Aegyptiis ad Hebraeos pervenisse.

VI. Sacris litteris confirmatum est, Circumcisionem ad delendum peccatum originale institutam esse, licet semen Abrahae à reliquis mundi gentibus distingueret.

VII. Lot Angelis hospitio susceptis, à Sodomitis vim passus, utramque filiam illorum libidini, illicite & imprudenter obtulit.

VIII. Loti ebrietas, & cum utraque filia incestus, à crimine excusari non possunt.

IX. Abrahami promtus & alacer ad filium suum immolandum animus, nullo praevio Aegyptiorum, vel Gentium aliarum exemplo obscurari potest, quidquid dicat Marshamus.

X. Iacobum absque fraude & mendacio paternam benedictionem accepisse, gravissimorum PP. auctoritas, & communis Theologorum sententia docet.

XI. Non vocaret Iacob Simeonem & Levi vasa iniquitatis bellan-

lantia, si inique non perimissent ob Dinae raptum Sichimitas.

XII. Ius levirationis ante legem institutum est, Deo auctore, ut par est, non Aegyptiorum, Chananaeorum, aut vicinarum gentium exemplo.

XIII. Incertum est, an Iudae & Thamaris historia, ante vel post Iosephi venditionem contigerit: sed oppido quam certum, Thamaris cum Iuda concubitum non fuisse excusatione dignum.

XIV. Scortationem ante legem prohibitam non fuisse, Maimonides, aliique Hebraeorum Magistri, & post illos Marshumus, perperam adserunt.

XV. Iobi historia vera est, non fabulosa vel parabolica, ut Thalmudistae, vel Maimonides, R. Schem Tob, Anabaptistae & Luterani impie delirarunt.

XVI. Iobum Idumaeum fuisse, ex genere Esau ortum, longe probabilius est, quam Cananaeum extitisse.

XVII. Eius liber Sacer est, & canonicam habet auctoritatem, licet Auctor incertus sit.

XVIII. Cunctae animae quae cum Iacob Aegyptum ingressae sunt fuere LXVI. vel LXX. vel LXXV.

XIX. Oraculum quod Iudae filio Iacob moriens edidit, praeclarum est ad convincendum Iudaeos, Messiam venisse.

XX. Moses totius Pentateuchi Auctor, omnibus Gentium Philosophis, Historicis, & Poetis antiquior, non polygamus, nec homicida, nec Heliopolitanus infectus lepra, nec faciem habens cornutam, ut Heretici criminantur.

XXI. Probabilis est sententia, adserentium esse filium Dei, qui Mosi in rubo adparuit, sed propugnantium Angelum fuisse nostro aevo probabilior.

XXII. De institutione, celebratione, & ritu Iudaici Paschatis rogatus dicam.

QUARTA MUNDI AETAS.

I. AEgyptiorum spolia ab Israelitica Gente ex Aegypto migrante ablata ab iniustitiae crimine vindicat S. Aug. & S. Thom.

II. Circuitum dumtaxat in mari rubro Hebraeos fecisse, non ab uno litore ad litus oppositum transiisse, non est improbabile recentiorum hominum figmentum.

III. Transitus Hebraeorum non refluxui maris, quem Moses rerum naturalium peritissimus observavit, alterive caussae naturali, sed miraculo tribuendus est.

IV. Decalogum in tabulis lapideis exaratum Populo promulgavit Moses, in quo praecepta legis naturae, necnon omnia praecepta moralia veteris legis continentur, vel ad illum revocantur.

V. Veteris legis coeremoniae convenienter in Sacrificia, Sacramenta,

Sa-

Sacra & Obſervantias dividuntur, ut praeclare explicat S. Thom. 1. 2. q.101. art. 4.

VI. Caeremonias veteris legis ratione deſtitutas, qui dixerit, ſe ipſum ratione deſtitutum probat.

VII. Caeremonialia praecepta ob eam praecipue cauſſam Deus tradidit Hebraeis, ut eos ab idololatria revocaret.

VIII. Sacrificia Iſraelitis non ſolum permiſsit Deus, ut Spencerus ſomniavit, ſed praecepit ad Chriſti ſacrificium adumbrandum, & ad ſpiritualia ſacrificia, quae hominibus exigebat, ſignificanda.

IX. Tabernaculum ex profana Gentium Religione originem non duxit, ſed ex Dei ſapientia, & voluntate.

X. In Arca foederis erant legis tabulae, nec contrarium adfirmat S. Paullus ad Heb. 9. v. 3. 4.

XI. Cherubini Arcae ſuperpoſiti, erant ſimulacra multiformia, vel animalium diverſorum ſpecies exhibentia.

XII. Dei mandato Sacerdotales veſtes factas fuiſſe, Scriptura Sacra teſtatur, & Aegyptii mores confirmant.

XIII. Altare Thymiamatis, an ſit conſtitutum extra velum in Sancto; vel poſitum intra velum in Sancto Sanctorum? Sit problema.

XIV. Iſraëlitici Populi regimen nec Monarchicum proprie fuit ad Saulem uſque, nec Ariſtocraticum, ſed Theocraticum.

XV. Ad Aegyptiacam ſuperſtitionis imitationem vitulus aureus ab Aarone conflatus eſt, non ad Cherubinis ſimilitudinem.

XVI. Aaronem fuiſſe graviſsimi peccati reum, Scriptura Sacra probat, & temere ab Hebraeis excuſatur.

XVII. Miraculum in aſinas Balaami factum, eiuſdemque nequiſsimi Balaami vaticinium, libenter explicabo.

XVIII. Ioſue Iſraëlitarumque Principes non tenebantur praeſtare Gabaonitis iuratam ſecuritatem.

XIX. Annorum Sabbaticorum & iubilaeorum epoca deducenda eſt ab anno primo culturae terrae promiſsionis, iique ab autumno ducebant initium.

XX. An annus iubilaei quolibet anno 49. celebraretur, an anno 50? In utramque partem.

XXI. Ioſue ſeptemdecim dumtaxat annis Reipublicae praefuiſſe, opinio eſt Chronologiae ſacrae magis conſona.

XXII. Anni interregnorum oppreſsionis non ſunt ſeorſim numerandi, ſed in annis quietis includendi, licet opinionem adverſam nulla cenſura dignam iudicemus.

XXIII. Debora vere, & proprie Iudex Hebraeorum fuit.

XXIV. Iephte iuxta Divum Hieronymum in vovendo fuit ſtultus, in reddendo impius.

XXV. Samſonem peccata ſua poenitentia diluiſſe, docere videtur ipſemet S. Aug.

XXVI. Librum Iudicum recentiorem eſſe, & poſt decem Tribuum captivitatem ſcriptum, quidam falſo ſuſpicantur.

Plu-

XXVI. Plures Boozi non ſunt admittendi ; Ruth ergo hiſtoriam ſub Debora & Barac ponimus.

XXVIII. Verum Samuelem adparuiſſe Pythoniſſae ; & Sauli ſuam ſuorumque proximam cladem oſtendiſſe probabilius eſt.

XXIX. Liber Pſalmorum genuinus eſt , an ſit unius Auctoris , incertum , partem certe maximam Davidi tribuendam eſſe conſtat.

XXX. Probabilior ſententia cenſet duos primos Libros Regum â Samuele , Natham , & Gad Prophetis eſſe ſcriptos.

XXXI. Annum aetatis circiter 20. Salomon adtigerat , quum Regnum iniit.

XXXII. Salomon fratrem Adoniam iuſte ſententia capitis damnavit, Abiatharem Sacerdotem merito exautoravit.

QUINTA MUNDI AETAS.

I. TEmpli Salomonis origo referenda non eſt ad ſuperſtitionem Aegyptiacam , vel ad Gentium ruditatem , ſed ad D. O. M. conſilium , auctoritatem , afflatum , Davidiſque ac Salomonis pietatem.

II. Reginam Sabbam ex Aetiopia veniſſe ad audiendam ſapientiam Salomonis probabilius videtur , quam ex Arabia.

III. Abſurdum non eſt dicere huiuſmodi Reginam ad veri Dei cognitionem eſſe converſam.

IV. Viri doctiſsimi , quibus adſentior , ſalutem Salomonis velut non incertam propugnant.

V. Tres dumtaxat libros Salomonis, Eccleſiaſticus Canon recipit, Proverbia ſcilicet , Eccleſiaſten , & Canticum Canticorum.

VI. Salomon Cantica Canticorum ſcripſit ſapientia divinitus infuſa, & Spiritus Sancti afflato.

VII. Proverbiorum Liber non eſt Ecloga optimarum ſententiarum, ex plurimis qui ante Salomonem floruerunt Scriptoribus.

VIII. Contra canonicam Eccleſiaſtis auctoritatem , nulla militant alicuius ponderis argumenta.

IX. Nec Ezechiae cum Thalmudiſtis , nec Zorobabeli cum Grotio, ſed Salomoni cum Eccleſia , Eccleſiaſtis liber adſcribendus eſt.

X. Scriptores Ethnici ex Eccleſiaſtis libro nonnulla hauſerunt.

XI. Canticum Canticorum, Sacrum Epithalamium & Nuptiarum Chriſti & Eccleſiae eſt.

XII. Ieroboam vitulos aureos non effinxit , nec Iſraëlitis propoſuit in ſimilitudinem Cherubinorum Tebernaculi , vel Templi ; neque in Ioſephi Patriarchae memoriam , ſed in ſuperſtitionis Aegyptiacae imitationem.

XIII. Nec ipſe, nec Iſraëlitae ab Idololatria aliqua ratione excuſari poſſunt.

XIV. Elias cum Enocho , Praecurſor Chriſti ad iudicium venturi, futurus eſt.

Naa-

XV. Naaman Syrus ita adfectus non fuit, ut Regi Syriae in templo Remmon adorante, idoli cultum externo ritu ſimulare voluerit.

XVI. In facto Giezi praeclare S. Thom. agnoſcit ſimoniae vitium. 2. 2. q. 101. a. 1. ad 4.

XVII Non ſolaris tantum umbrae in horologio Achaz, ſive in gradibus aedium ipſius reductio, ſed ſolaris ipſius retroceſsio Ezechiae data in ſignum eſt.

XVIII. Libri Regum & Paralipomenon in Genealogiis Regum Iuda ab Evangelio non diſſentiunt.

XIX. Licet Prophetae clariores, qui ante captivitatem Babylonicam prophetarunt ſint Iſaias, Ieremias, & Ionas, alios tamen adſignare non renuam.

XX. Vana argumenta ſunt, quibus Auctor Tract. Theologico-Politici, Iſaiae vaticinia impugnat.

XXI. Ieremiae Prophetiae licet iuxta temporum ordinem non ſint diſpoſitae, ab errore tamen, Origines & Sanctus Hieronymus vindicarunt.

XXII. Nullum de Chriſto vaticinium in Libro Ionae legitur, ſed eius librum genuinum agnoſcit Tobias, vel iſtius Libri Auctor.

XXIII. Liber Tobiae in Sacrorum Librorum canone non conſcriptus, ab Eccleſia ut Sacer & Canonicus recipitur.

XXIV. Haereticum eſt adſerere Librum Baruch non eſſe Canonicum.

SEXTA MUNDI AETAS.

I. Ezechiel Propheta cum Rege Iechonia in Chaldaeam deportatus, genuinus eſt Auctor libri, quem Eccleſia legit.

II. Daniel vere & proprie Propheta, reclamante Porphyrio, Auctor eſt prophetiae ſub eius nomine in uno libro vulgatae.

III. Unus & idem eſt Daniel Propheta, & Suſannae vindex; ad eumque Suſannae, Beli & Draconis hiſtoriae referendae ſunt.

IV. Septuaginta hebdomadum Danielis exordium ducitur ab anno 7. Artaxerxis Longimani; finis vero earumdem ſtatuitur poſt Chriſti Paſſionem.

V. Undecumque 70. hebdomadum ennumerandarum ſumatur exordium, ex hoc Danielis oraculo veniſſe Meſsiam contra Iudaeos demonſtratur, eumque non alium eſſe quam Chriſtum.

VI. Septuaginta captivitatis Babylonicae anni computandi ſunt ab anno 4. Ioachim Regis, & finem ducunt in anno 1. Cyri.

VII. Annos deſſolationis initium habuiſſe defendimus in anno 11. Sedeciae; finem vero in anno 2. Darii Hyſtaſpis.

VIII. Scaligeri ſententia negantis ſub Dario Hyſtaſpi Templi ſecundi fabricam abſolutam, ſectanda non eſt.

IX. Prophetae poſt captivitatem, utiliſsima tradiderunt teſtimonia, ad veritatem Chriſtianae Religionis comprobandam.

Con-

X. Contra Grotium adſerimus, impium, temerarium & haereticum eſſe, habere ut commentitia & parabolica, quae in Libro Iudith narrantur.

XI. Haec hiſtoria contigit anno 8. Manaſis ante Babylonicam captivitatem.

XII. Hiſtoria Eſther fictitia non eſt; quamvis tempus, ſub quo evenerit, exploratum non ſit.

XIII. Libri Sapientiae & Eccleſiaſtici pollent Canonica auctoritate; ſed huius Auctor fuit filius Sirach.

XIV. Machabaeorum Libri ab Eccleſia iure ut Canonici ſunt habiti.

XV. Criticae intemperantioris pruriginem eſſe arbitror negare Ariſteae libellum 70. Interpretum Verſionem divino conſilio adornatam, referentem.

XVI. An Eſdras vel Moſes Caballae fuerint Auctores, vel Iudaei? Diſtinctione adhibita, quam volueris elige partem.

XVII. Herodes Idumaeus fuit, & alienigena reſpectu Iudaeorum.

XVIII. Genuinum eſſe Ioſephi teſtimonium ad Chriſtum ſpectans cum D. Hieronymo defendimus.

DOCTRINA SACRA

IN UNIVERSIS ECCLESIAE SAECULIS.

PRIMUM ECCLESIAE SAECULUM.

I. INTER teſtimonia adventum Ieſu Chriſti Domini noſtri probantia, Sybillarum carmina locum tenent, ab antiquis PP. & Auctoribus Eccleſiaſticis celebrata.

II. Natus eſt Chriſtus Dominus ex progrenie David, filius Heli ſecundum Lucam, & filius Iacob ſecundum Matthaeum.

III. Chriſtus in lucem prodiit ann. V. C. 749. P. Iul. 41. Caeſaris Aug. 40. Conſulibus Aug. 12. & L. Cornelio Sylla.

IV. Magi ad praeſepe venerunt ſtella ducti, quam nati Regis ſignum adpellarunt, ut indicarent eamdem ante biennium non adparuiſſe.

V. Magorum adorationem Sociniani, qui Chriſti negant divinitatem, civilem, non latriae cultum, impie contendunt.

In-

VI. Innocentes in Sanctorum Martyrum numerum reponit Ecclesia, inconsulto Basnagio, oppositum iudicante.

VII. Miracula à Christo in AEgypto perpetrata incredibilia non sunt, eiusque fidem Criticorum coniecturae non derogant.

VIII. Domus in qua lares fixit Salvatoris nutritius, fuit Sanctae Virginis Nazarethana.

IX. Anno 15. Imperii Tiberii Caesaris, ut habetur Lucae cap. 3. coepit Baptista praedicare Baptismum poenitentiae; accepto Imperio Proconsulari non Augusteo.

X. Perpetua universarum Ecclesia traditio est Christum baptizatum fuisse 8. Idus Ianuarias.

XI. Omnes huius aevi Chronologi tribus annis, & totidem mensibus à Domino annuntiatum Evangelium existimant.

XII. Miraculo facto in Cana Galileae, ubi nuptiis interfuit Christus, suam praedicationem confirmavit, sed non adserimus Iohannem Evangelistam hoc miraculo permotum, relicta coniuge secutum Christi vestigia.

XIII. Christi miraculis ab Evangelistis enarratis, eius Divinitatem comprobari evincimus.

XIV. Christi ad Regem Abgarum litterae, an spuriae sint, vel non? Utriusque partis argumenta expendam.

XV. Passum Dominum adfirmamus ann. AErae V. 29. Cons. Duobus Geminis ann. 19. Imperii Procons. Tiberii Caesar. & 15. Imperii Aug. die 25. Martii.

XVI. Salvator Crucem sequenti die subiturus, legale Pascha peregit Luna 14. exeunte, & Eucharistiae Sacramentum instituit.

XVII. Proditoris Iudae patria non fuit Urbs Carioth, sed Scharioth, oppidum Tribus Ephraim.

XVIII. Attrocissimis verberibus flagellatus est Christus Dominus, & coronatus est spineo diademate, non è marinis iuncis, sed è sentibus rhamni plexo.

XIX. Servator noster quatuor clavis cruci suffixus est, nec Brutii crucifixores fuere.

XX. Moriente Domino tenebrae super universam terram factae sunt.

XXI. Usus sortium in sacris electionibus, S. Matthiae exemplo adstrui non potest.

XXII. Non ad vulgaris & prophanae, sed ad sacrae mensae ministerium Septem Diaconi electi sunt.

XXIII. Facile non est Nicolai innocentiam, unius ex Septem Diaconibus vindicare.

XXIV. Christiani lege abstinentiae à sanguine animantium, & à carnibus suffocatis non tenentur.

XXV. S. Paullus vere & sincere S. Petrum reprehendit, non ex simulatione ut aiunt.

XXVI. Symbolum quod Apostolicum nuncupatur, vere ab Apostolis traditum est.

San-

XXVII. Sancti Petri Principis Apostolorum, Romae adventum, quem obscurius indicat Scriptura Sacra, Traditio disserte probat.

XXVIII. Anacletum distinctum esse à Cleto, Latini Codices ostendunt, sicut demonstravit Pagius.

XXIX. Traditione constat S. Paullum in Hispania profectum, Ecclesiam fundavisse.

XXX. Argumenta quibus Natalis Alexand. in Dissert. 15. Saec. 1: probare tentat, S. Iacobum nusquam in Hispaniam profectum, valida non sunt ut traditionem deseramus.

XXXI. Certo probatur Viros Apostolicos hoc saeculo in varias Galliarum Provincias Evangelii lumen intulisse.

XXXII. Argumenta suadentia Dionysium Areopagitam in Gallias venisse, & in Parisiensi Ecclesia sedem posuisse, inconcussa non sunt.

XXXIII. Non sic iudicamus de B. Mariae Magdalenae, Lazari, & Marthae appulsu, licet rationibus sane non contemnendis possemus Gallis hanc gloriam eripere.

XXXIV. Multiplex non fuit Mulier Evangelica, quae Dominum unguento perfudit, sed una Maria nuncupata; in qua adsertione, sicut in aliis, universos PP. non conciliamus.

XXXV. Canones Apostolici, quamvis ab ipsis Apostolis compositi non sint, ipsorum antiquitatem non destruimus.

XXXVI. Constitutiones Apostolorum apocriphae sunt, Photio contrarium adserente.

XXXVII. Novem Canones Antiocheni Concilii, Apostolorum nomine vulgatos, cum nobilioribus Collectoribus Canonum reiicimus.

XXXVIII. Veterum Romanorum Pontificum Epistolae Decretales usque ad Siricium Papam, suppostititiae sunt.

XXXIX. Libros Sancti Dionysii Areopagitae germanos esse illius foetus, propugnare non audemus, gravissimis rationibus convicti.

XL. Septem Epistolae S. M. Ignatio adscriptae germanae sunt.

XLI. Huius Saeculi praecipui haeretici fuere, Simon Magus, Saturninus, Basilides, Cerinthus, Ebion, Nicolaitae, quorum errores sequentis adsertionibus impugnamus.

XLII. Nec Angeli Mundi opifices, nec animae in alia corpora transmigrantur, nec corporibus nostris futuram resurrectionem negamus.

XLIII. Duo hominum genera, alios natura bonos, alios natura malos, non distinguimus.

XLIV. Ex Scriptura Sacra erudimur Christum Dominum vere naturam humanam, & non specie tenus adsumsisse.

XLV. Christum Dominum non esse purum hominem ex Iosepho generatum propugnamus, millenarium Christi regnum negamus.

XLVI. Promiscuum & indiscretum mulierum complexum cum SS. PP. execramur.

SECUNDUM ECCLESIAE SAECULUM.

I. ERectio ac diſtributio Titulorum , Evariſto R. P. adtribuitur, qui tituli erant loca conſecrata , & quibus Sacerdotes & Miniſtri habebantur addicti.

II. Titulorum praefectura commiſſa non fuit Sanctae Romanae Eccleſiae Cardinalibus , quaſi horum nobiliſsimam dignitatem ad hoc ſaeculum reducamus.

III. S. Alex. Rom. Pont. qui ſub Adriano mortuus eſt, & martyrium ſubiit, ut Diſciplinae auctor & cuſtos diligentiſsimus haberetur , ſi Martyrii ſui acta non eſſent controverſa.

IV. Victor in Aſianos Paſcha more Iudaico , id eſt Luna 14. celebrantes , anathema indixit.

V. Romana Synodus ab ipſo Victore coacta , celebrandum Paſcha conſtituit , non alio die , quam Dominico , plenilunium primi menſis ſequente rationibus exquiſitis ducta.

VI. Probanda non eſt Epheſina Synodus, à Polycrate Epheſiorum Metropolita habita , quae à Victoris definitione receſsit.

VII. Execramur cum huius ſaeculi PP. Helceſeitarum errorem , negantium Fidem , & Religionem ſimulantium , quocumque in caſu , & quovis praetextu.

VIII. Unitatem Dei contra Marcionem , & nuptiarum bonitatem & ſanctitatem , ducti doctrina S. Thomae , demonſtrare poſſumus.

IX. Valentinianis & Gnoſticis traditionum non ſcriptarum neceſsitatem opponemus.

X. Adverſus Montaniſtas , ſecundas nuptias vindicabimus , licitumque eſſe adfirmabimus , priori uxore defuncta , aliam ducere.

XI. Contra eoſdem fugam in perſecutione arripere nobiliſsimis exemplis oſtendemus.

XII. Encratitarum ſacrificium ex ſola aqua confectum , ſola Eccleſiae refutatur conſuetudine.

XIII. Materiam Deo coaeternam ex Sacrae Scripturae principiis , adverſus Hermogenem reiicimus.

XIV. S. Iuſtinus huius ſaeculi ſcriptor praeſtantiſsimus , recte de gratia ſenſit , licet in opinatione de Angelis praevaricatoribus eum deſeramus.

XV. Noevos quos Magdeburgenſes Sycophantae in Sancto Irenaeo notant , facillimum eſt exſolvere.

XVI. Clemens Alexandrinus , non negat Chriſtum famem & ſitim , & alias adfectiones ex dignatione , revera perpeſſum , nec Chriſto venuſtatem ſingularem.

XVII. Tertulianum velut Magiſtrum venerari poſſumus in Libris , quos pro Eccleſia ſcripſit , ſecus dum adverſus ipſam Eccleſiam exaravit.

XVIII. Negari non poteſt plurimos ſub Traiano Imp. pro Chriſto ſanguinem fudiſſe.

Tra-

XIX. Traiani animam ab inferno liberatam, precibus S. Gregorii cognomento Magni, ut fabulam habemus à pluribus refutatam, & à quibusdam irrisam.

XX. Inter res ab Hadriano gestas, notanda venit Iudaeorum illata clades, ex qua subsecutum est ultimum eorum supplicium.

XXI. Dodwellum contra, sub Hadriani imperio aliquos fuisse martyres, ex Ecclesiae monumentis comprobamus.

XXII. Martyres Lugdunenses sub M. Aurelio, & L. Vero imperantibus, connumeramus, eorumque Actis fidem adhibemus.

XXIII. Pluvia quae M. Aurelio imperante cecidit in clypeis legionis Melitinae, ab Ethnicis Scriptoribus comprobatur.

XXIV. Statorum in Ecclesia ieiuniorum, non est germana Montanistae Disciplina, ut Nat. Alex. Dissert. 4. huius saeculi, erudite & nervose defendit contra Dallaeum & Basnagium.

XXV. Primis Ecclesiae saeculis, summa religione observabant Christiani, ante paschale ieiunium, non ut à S. Telesphoro inventum, sed & Apostolica traditione sancitum.

XXVI. Abstinentia à carnibus, Ecclesiastici ieiunii pars semper fuit, & apud veteres Christianos, diebus esurialibus publica lege praecepta.

TERTIUM ECCLESIAE SAECULUM.

I. ZEpherinus R. P. nec Montani propugnavit errorem, nec ipsi ulla ratione adhaesit.

II. Quamplurimi novatores contendunt, Urbis Romae coemeteria sub Calixti tempore fundata, monumenta esse Gentilium, sed facillimum est hanc falsitatem refellere.

III. Non sunt audiendi Recentiores, qui post Pontianum introducunt Cyriacum quemdam Pontificem.

IV. Lucius R. P. exilio Confessor, & Martyr capitis abscisione effectus est.

V. Non probavit Stephanus Pontifex omnem promiscue baptismum in haeresi administratum, & debita forma carentem.

VI. Marcellinum in Diocletiani persecutione idolis thus adolevisse, pervulgata fuit à superioribus saeculis opinio, sed à nobilissimis Criticis in hac tempestate oppugnata.

VII. Concilia Africana sub Agrippino Carthaginensi, & sub S. Cypriano incomparabilis memoriae viro, celebrata, quia favent errori Rebaptizantium, infirma sunt.

VIII. Synodus Carthaginensis in caussa Basilidis & Martialis Hispaniae Episcoporum, rite definivit.

IX. Duo Concilia Antiochena contra Paullum Samosatenum habita sunt.

X. In caussa lapsorum saluberrima decreta edita fuere, non minus

nus Romae ſub Cornelio , quam in Synodis Carthaginis.

XI. Novatiani perperam Eccleſiae negarunt poteſtatem remittendi graviſsima crimina.

XII. Praxeanos , Noetianos & Sabellianos impugnamus , doctrinam de Trinitate orthodoxam ſtabilientes.

XIII. Adverſus Manichaeos adſerimus , hominem libero eſſe praeditum arbitrio , quo peccatum vitare ſe poſsit.

XIV. AEternam fore doemonum & hominum impiorum damnationem , Scriptura Sacra , diſſerte probat , & PP. contra Originem.

XV. Huius ſaeculi celeberrimi Scriptores fuere Hippolytus Portuenſis Epiſcopus , Minutius Felix , Ammonius Alexandrinus , & Iulius Africanus.

XVI. Origenes Adamantinus adpellatus , ſtudiorum cauſſa , cum virilium exſectione ad Ordines fuit promotus. An vero huiuſcemodi abſcisio fuerit impedimentum canonicum ordinationis ? Elige.

XVII. Fuit confeſsionis gloria percelebris , ſed inter Chriſti martyres connumerandus non eſt , quia in ipſa confeſsione defecit.

XVIII. Ut haeretici ab Eccleſia damnati ſunt , qui ita defendunt Originem , ut eius errores ſectentur.

XIX. S. Gregorius Neocaeſarienſis Auctor eſt Canonis ultimi ſuae Epiſtolae Canonicae.

XX. Dionyſius Alexandrinus neutiquam Arianis favit , aut Arii praeformavit errorem.

XXI. S. Cyprianus , licet errorem de rebaptizandis haereticis , non depoſuerit , eius ſanctimoniam & doctrinam defendimus.

XXII. Crudeliſsimis perſecutionibus , Eccleſia agitata eſt , ſub Septimio Severo , Maximino , Decio , & Gallo , licet Dodwellus Chriſti ſponſae hanc gloriam eripere tentet.

XXIII. Decii perſecutione lapſi libellos Martyrum ſeditioſe praetexebant , veniam ut obtinerent ab Eccleſia , nulla licet poenitentia functi.

XXIV. Libelli Martyrum vim tantum obtinebant ab eorum obitu, & perſecutione ſedata.

XXV. Diaconi carceres luſtrantes , ut deſideria Martyrum ſuis conſiliis gubernarent , carebant facultate , Sacramentalem abſolutionem impertiendi.

XXVI. Cuiuſvis peccati reos nuſquam publicae poenitentiae Eccleſia addixit ; nec credere poſſumus , ſex prioribus ſaeculis , peccata occulta poenitentia publica puniiſſe.

XXVII. Canonicorum criminum reis , in ſupremo vitae diſcrimine , Abſolutio Sacramentalis negata eſt , ſi in infirmitate dumtaxat poſtulaſſent poenitentiam.

XXVIII. Nullae Orientis Eccleſiae , nec celeberrimae Occidentis , pacem ſeu Sacramentalem abſolutionem , lapſis poenitentia functis umquam denegarunt.

XXIX. His qui acta poenitentia in eadem , vel nova crimina relabe-

bebantur, ob quae agenda erat publica poenitentia, ſecundum Eccleſiae leges, nedum publicae, verumetiam privatae poenitentiae praecludebatur aditus.

XXX. Gradus poenitentiae, ſeu Stationes, erant Fetus, Auditio, Subſtratio, & Conſiſtentia.

QUARTUM ECCLESIAE SAECULUM.

I. MElchiades R. P. non vicaria poteſtate, & veluti Imperatoris Delegatus, ſed proprio iure, ut ſummus controverſiarum Iudex, Donatiſtarum cauſſam iudicavit.

II. Iulius Romanae Sedis Antiſtes, cauſſam Athanaſii pertractavit, & Sedi Alexandrinae, frementibus Arianis, iurè reſtituit.

III. Liberius Papa ab Ariana impietate purgari poteſt, adfirmando, eum tantum ſubſcripſiſe Sirmienſi formulae, quae ſenſum Catholicum patiebatur.

IV. Felix Romanae Eccleſiae Diaconus, in Romanam Sedem, Liberii loco ab Arianis intruſus, Romanus Pontifex numquam fuit.

V. Inter Concilia hoc ſaeculo celebrata, primum locum tenere debet Eliberitanum in Provincia Hiſpaniarum Boetica coactum, 81. Canonibus utiliſsimis ac prudentiſsimis adornatum, à 19. Epiſcopis formatis, qui ex Hiſpania univerſa convenerant.

VI. Arelatenſis Synodus, Conſtantino Imperatore, convocata, & à 200. PP. celebrata, Coeciliani & Donatiſtarum cauſſam pertractavit, vel potius retractavit.

VII. Cirtenſe Concilium poſt perſecutionem Diocletianam congregatum eſt.

VIII. Celeberrimum huius ſaeculi Concilium eſt Nicaenum, OEcumenicum primum, Conſtantino Imperatore, convocatum, & anno 325. AErae Chriſtianae celebratum.

IX. Praeſides fuerunt Hoſius Cordubenſis Epiſcopus, Vitus & Vincentius R. E. Presbyteri, Silveſtri P. M. cuius Legati erant, nomine.

X. Arianorum fraus in hac Synodo percuſa eſt, voce Omouſion conſecrata.

XI. Thomas Marmaricae Epiſcopus, & Secundus Ptolemaidis, Fidei formulae non ſubſcripſerunt.

XII. Nicaenae Synodi Can. 3. continentiam ab uxoribus, ante ſacram ordinationem ductis, Maioribus Clericis non praecepit.

XIII. Sardicenſe Concilium Illyrici celebratum ann. 347. promulgavit 20. Canones à Catholica Eccleſia receptas; & inter generalia Concilia à plurimis recenſetur.

XIV. Synodus Conſtantinopolitana ann. 381. vere OEcumenica, & Theodoſio Imperatore, convocata, haereſim Macedonii damnavit.

XV. Toletanum Concilium admittimus, ante illud, quod pro primo ha-

habetur coactum, in quo 20. Canones sunt conditi; Regula Fidei, Exemplaria Professionum, & sententia definitiva.

XVI. Macedonianos contra, hoc saeculo demonstratum est, Spiritum Sanctum esse verum Deum.

XVII. Appollinistarum impiissima secta pariter refutata est, adfirmando in Christo animam rationalem, mentemque esse.

XVIII. Perpetua B. Mariae Virginitas, ac meritum, adversus Helvidium, Iovinianum & Bonosum adserta est.

XIX. Priscilianistae adfirmantes liberum atbitrium, fatali necessitate constringi, vehementer confutati sunt.

XX. Episcoporum supra Presbyteros eminentia, AErium contra, firmiter stabilita est.

XXI. S. Athanasii, Hilarii, Cyrilli Ierosolymitani, Basilii Cappadocis, Gregorii Nisseni, Ambrosii, Chrysostomi, & Epiphanii, orthodoxiam & fidem vindicamus.

XXII. Symbolum S. Athanasii ex genuinis eius operibus expungimus.

XXIII. Osius Cordubensis Episcopus, Catholicam fidem semper tenuit, contra Athanasium nusquam subscripsit.

XXIV. Eusebii Caesariensis fides, ob gravissima, & non contemnenda fundamenta, dubia est.

XXV. Meletianum schisma, sicut Donatistarum, occasionem nactus, libentissime explicabo.

XXVI. Collatio Carthaginensis, Episcoporum Catholicorum cum Donatistis, recte & prudenter indicta est.

XXVII. Constantinus Imperator à labe Arii immunis, Nicomediae sub finem vitae suae baptizatus, Imperium suum tribus filiis, prudentissime distribuit.

XXVIII. Huius saeculi disciplina in Iuliani Apostatae persecutione, altissimas radices egit, clariusque eluxit.

QUINTUM ECCLESIAE SAECULUM.

I. INnocentius I. R. P. S. Ioannis Chrysostomi caussam advetsus Theophilum, iure & auctoritate composuit.

II. Aegre fero aliquorum sententiam ponentium Zosimum Ecclesiae Romanae Episcopum, Caelestii haereses probasse; & non tantum benignitate erga ipsum usum fuisse.

III. Coelestinus in eadem sede successor, Epistola sua ad Gallicanos Episcopos data, Semipelagianorum querelas, contra D. Augustinum compescuit.

IV. S. Leo Magnus, Epistolam dogmaticam ad Flavianum scripsit, vere dignam, ut inter Fidei regulas collocetur.

V. Gelasius I. in 70. Episcoporum Concilio, confirmavit, potius quam stabilivit, illud de libris apocriphis, celebre decretum.

Sym-

VI. Symmachus R. P. ſanctitatis ſuae clariſsimum ſpecimen exhibuit, dum pro ſchiſmate extinguendo, ſuaque electione firmanda, Synodi Palmaris iudicio ſe ſubiecit.

VII. Sacra Synodus Oecumenica Epheſina, Imperatore Theodoſio iuniore, convocata, & anno 431. celebrata, Neſtorii & Pelagii cauſſam definivit.

VIII. Chalcedonenſe Concilium, pariter Oecumenicum, Martiano Imperatore, Nicaeam convocavit, deinde Chalcedonem translatum anno 451. conſentiente S. Leone P. M. ubi Eutychiana haereſis proſcripta eſt.

IX. Theodoretus & Ibas in Act. 8. huiuſce Concilii ab haereſeos ſuſpicione, purgati ſunt, damnando, & anathematizando Neſtorium, eiuſque perverſum dogma.

X. Huius Concilii Can. XXVIII. de Epiſcopatus Conſtantinop. primatu, â S. Leone, tunc Eccleſiae rectore, iure impugnatus eſt.

XI. In Chriſto unam eſſe Perſonam, unum idemque Dei, & hominis filium, Neſtorium contra docemus.

XII. Beatam Mariam Virginem eſſe Dei Matrem, ex Catholica fide, contra eumdem, erudimur.

XIII. Eutyches unicam in Chriſto naturam ponens, à SS. PP. ſemitis deflexit.

XIV. Una ſimul damnamus Pelagianorum, & Semipelagianorum errorem, gratiae neceſsitatem ad fidem, ipſumque Fidei initium ſtabiliendo.

XV. Pelagii haereſis in Dioſpolitana Synodo adprobata non eſt, licet Pelagium ipſum PP. abſolverint.

XVI. Semipelagiani omnes gratiae interioris praevenientis neceſsitatem ad initium Fideì, conſtantiſsime negarunt.

XVII. S. Hieronymus in hoc ſaeculo è vivis exceſsit, cuius vitam, labores, & doctrinam purgare ſi neceſſe ſit, pro votis habemus, tum in Verſione Veteris Teſtam. tum in Helvidii, Ioviniani, & Vigilantii errorum impugnatione.

XVIII. S. Auguſtinus Magnus Eccleſiae defenſor, ex hoc ſaeculo, in Quaeſtionibus maxime de Praedeſtinatione & Gratia, legem dedit.

XIX. Inique ergo Maſilienſes eius inconcuſſam doctrinam variis calumniis diffamarunt.

XX. Iohannes Antiochenus de Neſtorianiſmo ſuſpectus, Neſtorii perſonae, non cauſſae adhaeſit.

XXI. Caſianus Monachus, Fauſtus Reienſis, & Gennedius à Semipelagianiſmo excuſari non poſſunt.

XXII. Romanum Imperium in Auguſtulo extinctum eſt; & an. 475. Odeacer Herulorum Rex Romam & Italiam invaſit.

XXIII. Zenonis Imperatoris Henonticon, nullam haereſim continebat, merito tamen reiectus eſt.

XXIV. Antiqui de diſciplina Eccleſiaſtica Canones, hoc ſaeculo in uſu fuerunt, non per deſuetudinem antiquati.

XXV. Antiqua Moralis doctrina ad ſacram legis ſeveritatem compoſita eſt, & ad ſacrum virtutum exercitium directa.

XXVI. Ecclesiae Fides in S. Cyrili Alex. Episcopi anathematismis contra Nestorium vulgatis, maxime enituit.

SEXTUM ECCLESIAE SAECULUM.

I. HOrmisdas universae Ecclesiae Pontifex, tumultuantes in Oriente Scythas Monachos, auctoritate Apostolica compescuit.

II. Iohannes I. Theodorici Italiae Regis iussu, Constantinopolim missus, impiissimi Ariani votis non fecit satis.

III. Iohannes huius nominis II. adprobavit hanc Monachorum Scythae propositionem: *Unus de Trinitate passus est carne*: quos ab Eutychiana haeresi prorsus alienos, iudicare debuit Annalium P. Cl. Baronius.

IV. Vigilius R. E. Pontif. aliqua nota inuri non debet, quod in trium Capitulorum damnatione, statim à principio, Iustiniano Imp. placere noluit.

V. Haec trium capitulorum controversia finita est in V. Synodo Oecumenica, Iustiniano Imperatore, convocata, cui praefuit Eutychius Patriarcha Constantinopolitanus.

VI. Temeritatis notam incurret, qui pro tribus capitulis, aut aliquo ex illis, apologiam scriberet.

VII. Arausicana Synodus à Caesario Arelatensi Episcopo coacta, 25. Canonibus, Semipelagianorum doctrinam damnavit; eiusque definitio ab universa Ecclesia, sensim amplexa est.

VIII. Diversa Concilia Nationalia & Provincialia Hispaniae celebrata sunt, quae referre mei muneris erit, si opportunitas exigerit.

IX. Christi corpus ante Resurrectionem non fuisse corruptibile, nunquam ex Scripturis Aphterdocetae probarunt.

X. Agnoetae suam ignorantiam prodibant, Christo Domino omnium rerum scientiam, non concedentes.

XI. S. Gregorius Magnus inter huius saeculi scriptores primum locum occupat: An Monachus fuerit S. Equitii, vel S. Benedicti? Monumenta utriusque partis expendam.

XII. Miracula quae dictus S. Doctor in Dialogorum libris narrat, doctrinae suae famae non praeiudicant, ut Cl. Canus animadvertit.

XIII. S. Leander Hispalensis, Gothorum Episcopus merito dictus, scripsit opera eruditione plena, & opuscula contra Arianos praeclara.

XIV. S. Fulgentius Ruspensis Episcopus, S. Gregorius Turonensis, praeclari Auctores sunt, alter in praedestinatione & gratia, alter in Francorum historia adornanda.

XV. Dionysius Exiguus, Monachus Scytha, Boëthius, Casiodorus, Orentius Eliberitanus, Iustus Urgellensis, ob praeclara sua scripta memoria digni sunt.

XVI. Iustinianus Imp. incorrupticularum errorem amplexus est.

XVII. Iustinus iunior, Curolopates nuncupatus, haeresi Pelagianorum infectus est.

XVIII. Doctrina Catholica sexto saeculo, circa controversiam cum Scythae Monachis, eadem plane fuit cum primorum saeculorum doctrina.

Ex

XIX. Ex disciplina huius saeculi, Episcopatus in Regionibus recens ad Christianam fidem conversis Rom. Pontif. auctoritate constituebantur.

XX. Ante hoc saeculum, disciplinam Monasticam in Hispania viguisse, erudite probat Mabillonius.

SEPTIMUM ECCLESIAE SAECULUM.

I. SAbinianus R. P. à D. Gregorio, propter avaritiam, & in pauperes duritiem, non fuit reprehensus.

II. Honorius huius nominis I. à Monothelitarum haeresi, tam vere excusatur, quam pie.

III. Severinus Pontif. Max. nullo pacto, sua adprobatione munire voluit Imperatoris Heraclii Ecthesim, sed illam potius cum Monothelitarum errore damnavit.

IV. S. Martinus P. M. in Lateranensi Romana Synodo, Typum Imperatoris Constantis, Apostolico pectore condemnavit.

V. S. Agatho inauguratus Pontifex, re cum Constantino Pogonato Imp. communicata, per suos Legatos praefuit VI. Syonodo Oecumenicae, anno 680. coactae.

VI. Baronium contra defendimus, universam Criticorum familiam sequendo, huius Concilii Acta non esse depravata.

VII. Negare itaque non possumus, Honorium in praefata Synodo, juste, ut Monothelismi fautorem, damnatum esse.

VIII. Canones Synodi Quini-sextae, licet universae Ecclesiae adprobationem non meruerint, aliqui tamen maxima laude digni sunt. Quinam vero? In Palaestra.

IX. Praetermittere hoc saeculo, nec possumus, nec debemus, Concilium Toletanum XII. ubi omnia Primatus iura, supra universas Ecclesias Hispaniae, Toletano Antistiti, concessa sunt.

X. Iure ergo Cl. Florezius evincit, ante hoc saeculum, Toletanam Ecclesiam ad hanc dignitatem praestantissimam, non fuisse evectam.

XI. In laudato Toletano Concilio, PP. Wambam Regem prudentissimum, suo non privarunt Regno.

XII. Monothelitae duas in Christo voluntates negantes, ex Scripturis refutati sunt.

XIII. Paulliciani, Manichaeorum haeresim renovantes, impie & proterve, omnem Christi Cruci venerationem negarunt.

XIV. Mahometanae Religionis falsitas, ex ipso Alcorano, & recta ratione facile demonstratur.

XV. Hispania nostra gloriatur hoc saeculo, S. Isidori Hispalensis Episcopi doctrina, atque S. Ildephonsi Toletani Praesulis pietate.

XVI. De Religione fuerunt benemeriti S. Sophronius, & S. Maximus, Monothelitarum impugnatores acerrimi.

XVII. Mauricii Imp. pietas in Sanctos Martyres, merito à Theophilacto commendatur.

XVIII. Nec Heraclius, nec Constans, inter bonos Imp. sunt reponendi.

XIX. Viros pios haud paucos, hoc faeculo rem facram quotidie frequentaffe, feu Miffam celebraffe, certo certius eft.

XX. Difciplina Monastica ad fplendorem priftinum reftituta eft, & altas radices egit.

XXI. Poenitentiae publicae confervandae, diligenter Paftores invigilarunt, & graviter conquefti funt de eius redemtione per eleemofinas, & Sacrificia.

XXII. Traslationes Epifcoporum ab una ad aliam Ecclefiam, non fiebant, nifi propter Ecclefiae utilitatem.

OCTAVUM ECCLESIAE SAECULUM.

I. GRegorius II. R. P. Leonem Ifaurum tributorum exactione non privavit, nec Romam, Italiam, totumque Occidentem, ab eius obedientia abftraxit, ut Pagius cum aliis Criticis fentit.

II. Nec Zachariae, nec Stephani III. Rom. P.P. auctoritate, Regnum Francorum, à Childerico III. ad Pippinum translatum eft.

III. Adrianus R. P. confenfit, ut VII. Synodum OEcumenicam, Nicaenam II. dictam, Conftantinus Imp. convocaret.

IV. Tharafius huius Concilii non fuit Praeses, fed Romani Antiftitis Legati.

V. Sanctorum imaginum cultus, in praefata Synodo definitus eft, & ex Ecclefiae traditione.

VI. Francfordienfis Synodus in dogma Fidei, vel circa cultum Sanctis imaginibus deferendum, Sinodo VII. non fe oppofuit.

VII. Verè Pfeudo-Synodus Conftantinopolitana ab Iconomachis habita ad ann. 755. defpecta & conculcata eft.

VIII. Ufus cultufque Imaginum Chrifti & Sanctorum, cum lege Dei nullatenus pugnant, idque contra Iconomachos verè definitum eft.

IX. Concilii Francfordienfis P.P. rectifsimè damnarunt Felicem & Elipandum Chriftum filium Dei adoptivum adpellantes.

X. Chriftum ratione naturae humanae, vocarè filium adoptivum, quamvis poft Durandum aliqui fecerint, non audemus.

XI. Felix & Elipandus filiationem adoptivam, Neftoriano fenfu propugnarunt, ut ex Epiftola Concilii ad P.P. Hifpaniae colligere licet.

XII. Huius faeculi praeftantifsimus Theologus abfdubio fuit S. Iohannes Damafcenus, & Hiftoricus V. Beda fanctitate & eruditione confpicuus.

XIII. Memoria dignus eft Alcuinus ob eius fcripta Dogmatica, Polemica, & Theologica.

XIV. Leo Ifaurus Imp. una cum Conftantino Copronymo, peftilentiffimae huius faeculi haerefi, fuum favorem adhibuit.

XV. Dignus fuit Carolus M. ut Auguftus declaretur à Leone II. Pontifice Maximo.

XVI. Regula S. Benedicti in Gallia, & Germania primas tenebat octavo faeculo, eamque omnia pene Monafteria fufceperunt.

XVII. Non omnes promifcuè Chriftiani huius faeculi, ad frequentem communionem hortabantur.

His,

XVIII. His, qui Iudicum ſententia capite plectebantur, Sacramenta Poenitentiae & Euchariſtiae ob graviſsimas huius ſaeculi cauſſas denegabantur.

IX. ET X. ECCLESIAE SAECULUM.

I. MAgno molimine illa fabella exploſa eſt, quae inter Leonem IV. & Benedictum III. Mulierem quamdam, Iohannae nomine reponit.

II. Nicolaus I. celeberrimus Pontifex, recipit additionem particulae *filioque*, ab Hiſpanis primò, à Gallis deinceps factam in Symbolo.

III. Duabus potiſsimis viis inſiſtunt Theologi, ad excuſandum Stephanum VII. R. P. qui praecepit, ut ii omnes iterum ordinarentur, quos Formoſus Papa, ad Sacros promoverat Ordines.

IV. De Romanis Pontificibus, qui Romanam Sedem, decimo ſaeculo tenuerint, nullam Apologiam facere, libenter decernimus, quum nulli dubium ſit, ſuis moribus hanc ſacram ſedem foedaſſe.

V. Leo VIII. fuit Pontifex intruſus, qui violatis legis iuribus, Benedictum V. à Sede depoſuit in Romana Synodo, in qua idem fuere accuſatores & teſtes.

VI. Iuſſu Adriani II. convocavit Baſilius Auguſtus VIII. Synodum OEcumenicam, quae an. 869. inchoata eſt.

VII. Legati fuere Donatus Oſtienſis Epiſcopus, Marinus Diaconus, Conſtantinopolim miſsi.

VIII. Latini flocci faciunt Concilium Generale Graecorum Schiſmaticorum, ab ipſis pro cauſſa Photii tuenda celebratum anno 869.

IX. Synodus Compendienſis Ludovicum Auguſtum non depoſuit, nec talem auctoritatem ſibi tribuit.

X. Nulla haereſi, iis duobus ſaeculis Eccleſia foedata, graviſsimis controverſiis agitata eſt.

XI. Praecipua & maxima fuit Photii, qui praeter fas & ius, ab eius ſinu diſceſsit, & Conſtantinopolitanam Sedem, S. Ignatio deturbato, invaſit.

XII. Gotheſcalcus revera propugnavit errores ipſi imputatos, licet ſua obſcuritas cauſſam dederit, ut aliqua Gallicana Concilia ab erroris crimine abſolverint.

XIII. Controverſia inter Paſchaſium Radbertum, & Rabanum, ob librum de Corpore, & Sanguine Chriſti, nihil praeiudicat Tranſubſtantiationis dogmati.

XIV. Photius inter Scriptores noni ſaeculi agmen ducit; Nicephorus & Methodius ſuum locum in Hiſtoria occupant.

XV. Rabanus Moguntinus Epiſcopus, Amalarius & Retramnus, ſi quoſdam naevos excipias, ut doctiſsimi & ſapientiſsimi iure habiti ſunt.

XVI. S. Eulogius M. occubuit Cordubae, quia Mahumetanis adamantino pectore ſeſe oppoſuit.

XVII. Carolus Mag. fortitudine & virtute nulli ſecundus, deceſsit an. 814.

XVIII. Michael II. inſectator imaginum, in Oriente habitus eſt, ſed Baſilius Macedo, defenſor & cultor.

XIX. Nono ſaeculo, Latini Graecos contra, Spiritus Sancti proceſſionem à Patre & Filio propugnati ſunt.

Sae-

XX. Saeculo decimo, omnes Ecclesiae ordines, Eucharistiam esse verum Corpus & Sanguinem Christi, velut dogma Fidei professi sunt.

XI. ET XII. ECCLESIAE SAECULUM.

I. EGregiam laudem Greg. VII. R. P. consecutus est, eo quod multa tam pro fide, contra Berengarium vindicanda, quam pro restituendo Ecclesiasticae disciplinae vigore statuit.

II. Urbanus II. Toletanae Ecclesiae restituit Primatum, Alphonsi Regis tempore.

III. Friderici Imperat. cum Alex. III. P. R. reconciliationem admittimus, sed explosa illa fabula, à nonnullis temere iactata.

IV. Ecclesia, ut ad saniorem mentem Berengarium revocaret, quam plurima celebravit Concilia, quae referre supervacaneum est.

V. In Concilio Romano, meritò Berengarius compulsus est, ut in Fidei formula sibi proposita iuraret.

VI. In Romano & Berensi Concilio, Graecorum schisma finem non habuit, sed in dies crevit Michaelis Cerularii opera.

VII. In Concilio Lateranensi IX Generali, cui Calixtus II. praefuit ann. 1123. Investiturarum controversia finita est.

VIII. Aliud Generale Concilium, Lateranense II. adsistente ipsomet Innoc. II. ann. 1139 rescissis actis Pseudo-Pontificis, Anacleti II. iure & merito damnavit haeresim Petri de Bruiis, Arnaldi Brixiensis, aliorumque.

IX. Licet Abaelardus post sinceram errorum suorum emendationem, haereticus dici non debeat, certum est suos errores in Senonensi Synodo ann. 1140. esse damnatos.

X. Lateranense III. OEcumenicum Occidentale Concilium, Alex. III. praeside, ann. 1179. celebratum, Waldenses & Albigenses condemnavit.

XI. Ann. 1148. Remense Concilium habitum est, in quo Gilbertus Porretanus erroris convictus est.

XII. Noluit Honorius III. Ioachimum Abbatem post mortem, aliqua haeresis nota inuri, eo quod sua scripta, Apostolicae sedis judicio commisit.

XIII. Divus Anselmus Cantuariensis Episcopus, Graecorum errorem dilucide refutavit.

XIV. S. Bruno Carthusianorum fundator in Scriptores undecimi saeculi reponitur, historiola suae conversionis reiecta.

XV. S. Petrus Damiani Simoniacos diris devovit, scriptisque suis confudit.

XVI. Inter Sanctos PP. D. Bernardum sanctitate & doctrina illustrem, libentissime collocamus.

XVII. S. Norbertus Tanchelinum flagitiosissimum haereticum, suamque pestilentem sectam doctissimis suis concionibus extinxit.

XVIII. Hugo à S. Victore, & Richardus, saeculo duodecimo, Sacram doctrinam illustrarunt, & nostrae Religionis mysteria, aperte declararunt.

XIX. Gratianus Collector Canonum obtinuit, ut sua Collectio, publice in Scholis perlegeretur, & multorum doctissimorum Virorum Commentariis illustraretur.

Quam

XX. Quam auctoritatem habeat, mihi non erit iniucundum exponere, Collectorum Canonum historiam texendo.

XXI. Nonnullae Petri Lombardi sententiae, communi Theologorum calculo explosae sunt; nihilosecius opus magnum & arduum edidit, quo usque hodie, vel maximè utuntur Theologorum Scholae.

XXII. Latina Ecclesia Romana ab Apostolorum aetate usum azymi retinuit, idque perperam à Graecis denegari, undecimo saeculo probatum est.

XXIII. Fateri possumus ante exortum Schisma Photianum, usum Fermentati apud Graecos obtinuisse.

XXIV. Duodecimo Ecclesiae saeculo, nonnulli Theologi Parisienses, inculpata fide pugnarunt, valere Baptismum collatum in nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti. Amen. praetermissis his verbis: Ego te baptizo.

XXV. Controversia de conversione aquae, quae Calici ante consecrationem infunditur, in duodecimo saeculo agitata est. Immerito ergo Baronius existimat S. Thomae opinionem perpetuo totius Ecclesiae sensui esse contrariam

XIII. ECCLESIAE SAECULUM.

I. INnocentius III. Pont. Max. Concilium Lateranense IV. OEcumenicum XII. congregavit ann. 1215.

II. Nonnulli Scriptores huius saeculi, levissimis coniecturis adducti sunt, ut arbitrarentur, nihil à Concilio laudato sancitum esse.

III. Bellum adversus Albigenses; in hoc Concilio directum, iustissimum & rectissimum fuit.

IV. Fides de SS. Trinitate, exposita necessario fuit, ut haeretici Albigenses damnarentur.

V. Canoni *Utriusque sexus* parere ac facere satis censendus est, qui peccato semel in anno Parochis, vel Presbyteris, sive Saecularibus, sive Regularibus, ad id muneris absque ulla restrictione delegatis confessi fuerint.

VI. Caussa Toletani Primatus in praefato Concilio agitari non potuit, ipsis extraneis fatentibus.

VII. Dissidium Frederici II. Imperatoris cum Romanis Pontificibus, caussa fuit, ut Innocentius IV. ann. 1245. Lugdunense I. Concilium OEcumenicum XIII. celebraret.

VIII. Praefuit Greg. X. Concilio Lugdunensi II. OEcumenico XIV. ann. 1274 in quo Graecorum error de Spiritus Sancti processione definitus est.

IX. Irridenda est Graeculorum quorumdam temeritas, non verentium dicere, hoc Concilium in Graecorum partes abiisse, sententiamque Latinorum condemnasse.

X. Almarici errores, non tam doctrina haeretica, quam insana, censendi sunt.

XI. Davidem de Dinando, adserentem Deum esse materiam primam, solide confutat S. Thomas.

XII. Theologorum Parisiensium de rebus divinis differendi prurigo, gravissima damna, hoc saeculo, Parisiensi Academiae intulit.

XIII. Flagellantium secta ex superstitiosis hypocritis hominibus compo-

si-

ſita , proſcripta eſt , tum ob errores quibus erat implexa , tum ob immoderatas flagellationes , quibus oſtentabatur.

XIV. Stadinghorum diabolica haereſis,tam impia fuit, ut Magiſtro Doemone in ſecretis eorum conventiculis uteretur.

XV. Inter Scriptores huius ſaeculi,p lmam fert S.Thom.Doct.Ang.cuius doctrina praeclaris encomiis à Summis Pontificibus celebrata eſt.

XVI. S. Bonaventura Seraphicus Doctor nuncupatus , ob ſuam ſapientiam meruit Concilium Lugdunenſe II. dirigere.

XVII. Eccleſia in ſua doctrina ſemper immobilis, inter Fidei articulos, non repoſuit hoc ſaeculo , Confeſsionem Sacramentalem , nec tranſubſtantiationem ; licet Dallaeus reclamet.

XVIII. Doctrinam Moralem,avitam ſuam retinuiſſe puritatem,ſat ſuperque probant opera S.Thom.qui à SS.PP.communi ſemita , numquam deflexit.

XIV. ECCLESIAE SAECULUM.

I. IOhannes XXII. R. P. nullo umquam decreto adprobavit veterem & erroneam ſententiam illorum , qui cenſebant , Sanctorum animas, Viſione Dei ante ſupremi iudicii diem , non fruituras.

II. Iurè damnavit idem Pontifex hanc propoſitionem: Chriſtus & Apoſtoli non habuerunt aliqua, nec in ſpeciali , nec in communi.

III. Clemens V.Generale Viennenſe Concilium indixit ann.1311. ut graviſsima Fidei capita diſcuterentur.

IV. Templariorum Ordo in laudata Synodo fuit extinctus , cauſsis quae Doctiſsimis PP. graviſsimae viſae ſunt.

V. Tam Parvulis, quam Adultis conferri in Baptiſmo informantem gratiam & virtutes PP. huius Concilii probabilius docuerunt.

VI. Palamas Theſſalonicenſis Epiſcopus, lumen in monte Thabor Chriſto circumfuſum , increatum , & aeternum Dei lumen fuiſſe , irrito conatu pertendebat.

VII. Fraticelli contra Apoſtoli monitum,perpetuo indulgentes otio, id vitae genus amplex i ſunt, quae ſuo inſtituto indecens ac indecora erat.

VIII. Beguardi & Beguinae in maximo errore verſati ſunt, ultro citroque adfirmantes , hominem in iſta mortali vita ad ſublimem impeccabilitatis gradum pervenire poſſe.

IX. Dulciniſtae impie adſeruerunt, auctoritatem omnem, à Chriſto traditam Eccleſiae Romanae , propter Praelatorum malitiam penitus ceſſaſſe.

X. Huius ſaeculi praeſtantiſsimi Theologi fuere Raynerius,Petrus Aureolus , Gregorius Ariminenſis , Iohannes Bachonius.

XI. Beneficiorum pluritas, circumſtantiis à S. Thom. adſignatis Quodl. 9. non concurrentibus , damnata eſt.

XII. Sub huius ſaeculi fine evanuit apud Latinos ritus baptizandi per immerſionem , & obtinuit mos conferendi baptiſmum per effuſionem.

XV. ECCLESIAE SAECULUM.

I. ALexander V. Pont Max. renuntiatus eſt in Piſano Concilio OEcumenico ann. 1409. celebrato legitimè, Angelo Corario Greg. XII. dicto, ac Petro de Luna, Bened. XIII. nuncupato, exauctoratis.

II. Iohannes XXIII. à P.P. Conſtantienſis Concilii depoſitus fuit, nec potuit ipſe huiuſcemodi ſententiae contradicere.

III. Quum Martini V. electio in dubium vocari non poſsit, nec Conſtantienſi Synodo OEcumenicae ann. 1414. convocato Concilii Generalis auctoritatem denegare poſſumus.

IV. Dubia circa Seſſ. 4. & 5. agitata, nolumus vocare in controverſiam, licet iis diſcutiendis tempus & operam aliquando locaverimus.

V. Baſileenſe Concilium ann. 1431. coactum, convocatione eſſe OEcumenicum, nullus quem viderim inficiatur.

VI. Florentina Synodus ann. 1439. celebrata, totius Eccleſiae conſenſu, ratione Dogmatum OEcumenica praedicatur.

VII. Queruntur iniqui & iniuſti haeretici, Iohannem Hus, & Hieronym. de Praga, rogo fuiſſe impoſitos & exuſtos, etſi Conſtantiam adceſſerint ſalvo conducto obtento.

VIII. Ob id vel maximè Iohannes Hus damnatus eſt, quod doceret Eccleſiam ex ſolis praedeſtinatis conſtare.

IX. Calixtini ſub utraque ſpecie Communionem neceſſariam putantes, ab Eccleſiae Doctoribus damnati ſunt.

X. Iohannes Parvus Regicidii & Tyrannicidi doctrinam propugnans, iuri naturali, Divino, & Gentium infenſus fuit.

XI. Memoria & veneratione in hoc ſaeculo digniſunt, S. Bernardinus Senenſis, S Antoninus, S. Vincentius Ferrerius, S. Laurentius Iuſtinianus, & Thomas de Kempis vere Auctor Librorum de Imitatione Chriſti.

XII. Praeterire non debet Hiſtoria Petrum de Aliaco, Iohannem Gerſonium, Nicolaum de Cuſa, Iohannem Turrecremata, nec non Thomam Waldenſem.

XIII. In praeſenti ſaeculo, nihil Eccleſia noſtra tradidit circa Miſſae Sacrificium, quod ex ipſis Apoſtolorum temporibus repetere non poſsit.

XIV. Iuſtis & graviſsimis rationibus ſaeculo 15. Eccleſia Catholica permota fuit, ut Laicos atque etiam Clericos non conficientes, ſub ſpecie tantum panis communicaret.

XVI. ECCLESIAE SAECULUM.

I. IUlius II. P.M. prudenter ſanè V. Lateranenſe Concilium, Piſano Conventui oppoſuit, qui generalis, vel legitimi Concilii nomen obtinere non potuit.

II. Leo X. defenſoris fidei titulo decoratus eſt, qui Lutheri in Romanam Eccleſiam debachantis proſcripſit articulos.

III. Concilium Tridentinum vere OEcumenicum, omnium Conciliorum ve

luti appendix, à calumniis P. Suavis Polani, Caroli Molinaei, ac Innocentii Gentileti, quilibet Theologus vindicare debet.

IV. Quaenam Provincialia Concilia Sacrosanctam Tridentinam Synodum receperint? rogatus dicam.

V. Pisiacense Colloquium, Calvinianis concessum, pessimo exemplo fuit indictum, nullo fructu habitum, summa omnium laetitia solutum.

VI. Nequissimè adfirmavit Lutherus post Adae lapsum, in hominibus extinctum esse liberum arbitrium, impossibilia esse Dei praecepta, peccata non deleri, sed dumtaxat non imputari, omnium iustorum opera esse peccata, etc.

VII. Flaccus Illyricus cum Manichaeismo sapit, tradens originale peccatum esse animae rationalis substantiam.

VIII. Sociniana haeresis omnium pestilentissima fuit, & haberi potest, ut cunctarum haeresum sentina.

IX. Commemorare inter Auctores huius saeculi debemus AEgidium Fuscarium, Marinum, & Sirletum, qui Concilii Tridentini Cathecismum adornarunt.

X. Melchior Canus egregiam laudem consecutus est ob aureum opus de Locis Theologicis; nullaque censura est dignus, ob opinationem de Matrimonii Ministro.

XI. Similiter Ambrosii Chatarini sententiam circa intentionem Ministri, in Sacramentis conficiendis, Tridentini P.P. non reprobarunt: nosque moderatione quadam adhibita, ab ea recedimus.

XII. Cardinalis Caietanus vere purpura dignus, in immensis suis operibus, nihil mirum quod alicubi erraverit.

XIII. Sole clarius ostensum est, Lutheri, Calvini, aliorumque haeresiarcharum huius saeculi sectas esse Synagogas Satanae, solam Ecclesiam Romanam esse veram Christi Sponsam.

XIV. Ecclesiae disciplina meditari debet, iuxta Concilii Tridentini decissiones, & saluberrima P.P. monita.

XV. Concordatum Gallicum Ecclesiae disciplinae non fuit incommodatum, sed potius utile.

XVI. Doctrina Moralis per Sancti Caroli Borromaei Instructiones, sapientissimè hoc saeculo restituta est.

XVII. ECCLESIAE SAECULUM.

I. PAullus V. controversiae de Auxiliis finem imponens, indicto utrique parti silentio, M. P. Aug. & S Thom. doctrinam non proscripsit.

II. Innocentius X. quinque propositiones Iansenii nomine vulgatas, damnans, Iansenium ipsum Iprensem Episcopum non damnavit.

III. Alex. VII. sapienter disposuit, ne Theologi in quaestione de sufficientia attritionis formidolosae, se mutuo proscinderent.

IV. Petricoviense Concilium in Polonia an. 1607. habito, memoria dignum est, quia Sociniani, Arianorum & Ebionitarum polluti haeresibus, damnati sunt.

V. Calviniana haeresis in Synodo Bethlehemitica à Dositheo Ierosolymitano Patriarcha proscripta est.

VI. Tres Synodi à B. Thoribio in civitate Limae, Americae Meriodonalis Me-

Metropoli habitae ſunt,ut Neophiti competentem inſtructionem habeant,priuſquam Chriſto ſint regenerati.

VII. Quietiſtarum pernicioſiſsima ſecta,Auctore Molina exorta,turpiſsimis elementis eſt innixa,& in eius confutationem,octo propoſitiones diſputatoni exponimus, quas Nat. Alex. explicat Diſſ.15. in Panop. adverſus haereſes saecul. 13. & 14.

VIII. Fenelonium Camaracenſem Epiſcopum ſtatum puri amoris defendentem, pariter impugnamus.

IX. Tremblantes, Quakeros, ſive Fanaticos, qui hodie etiam vigent ob impiſsima ſua dogmata execramur.

X. Peccatum Philoſophicum Divione propugnatum cum Alex. VII. damnamus.

XI. Rationaliſtarum ſeu Latitudinariorum apud Anglos exorta ſecta, diris execranda eſt, ut Scripturae & traditioni adverſa.

XII. Baronius utiliſsimum opus Eccleſiae dedit, noſtrae Religionis Annales ordinando.

XIII. Bellarminus ſuo controverſiarum inſigni opere, Heterodoxorum animos irritavit.

XIV. Henricus Noris etiam in Hiſpania, ob ſua Theologica ſcripta, immortale ſibi nomen comparavit.

XV. Petavius, Sirmondus, Boſſuetius, digni ſunt, ut in manibus ſemper habeantur.

XVI. In Molinae ſyſtemate impugnando, omnes ſuos nervos intenderunt Dominicus Bannes, & Franciſcus Zumel noſtri Ordinis Mag. Generalis.

XVII. Doctrina Moralis, hoc ſaeculo impugnata, in ſua puritate conſervata eſt, proſcriptis ab Alex.VII. propoſitionibus 45.& ab Innoc.XI. 67.

XVIII. Iure irrita & nulla declarata eſt à Clem.VIII. Confeſsio per litteras, ſive internuntium facta.

XIX. Vigilantiſsimi Epiſcopi laxioribus opinionibus ingenti librorum copia diſſeminatis, bellum indixerunt, & collabentem Diſciplinam reſtitue unt.

XX. Verior & ſanior ſententia hoc ſaeculo, etiam fuit circa ieiunii controverſiam, Pariſiis agitatam, diſpenſatum in una parte, non eſſe diſpenſatum in altera, quam ſervare queat ſine propriae ſalutis diſcrimine.

PRAESENS ECCLESIAE SAECULUM.

I. Clemens XI. R. P. in hac periodo : *Hodie* forma ſervi reverſa eſt in formam *Dei*; inſcite & imprudenter, Eutychianae haereſeos inſimulatur.

II. Idem Pontifex maturo adprobavit iudicio decretum Caroli Thomae de Tournon Apoſtolici Legati, & Cardinalis, in Rituum Sinenſium condemnationem editum.

III. Benedictus XIII. doctrinam de Gratia & Praedeſtinatione, Thomiſtico ſenſu adſertam confirmavit.

IV. Benedictus XIV.Conſt.quae incipit,Matrimonia,graviſsimam & difficilli-

limam controversiam Matrimoniorum in Hollandiae Provinciis celebratorum, definivit.

V. Synodus Lateranensis an. 1724. celebrata, R. P. declarante, non OEcumenica, sed Provincialis fuit.

VI. Synodus Montis Libani à Benedicto XIV. adprobata, hoc saeculo potissimum locum obtinet.

VII. Qui sint haeretici Remonstrantes, & Contraremonstrantes? Rogatus dicam, suos errores refutando.

VIII. Impie Lock adseruit, tantum esse credendum Deum esse unum, & Christum ab illo fuisse missum, libertate relicta ad cuiuscumque sectae instituta obtemperandum.

IX. Ignoti homines prodiderunt Galliae, dicti Des Francs-Mazons quorum secreta conventicula Priscillianistarum sectam redolent.

X. Benedictus Spinosa Deum esse hunc Mundum, methodo geometrica exponere curavit, à quo Pantheistarum secta, antiquitus confutata, iu Anglia est altissimis defixa radicibus.

XI. Inter praestantissimos Viros huius saeculi, laudabo in primis Nat. Alex. ob praeclara sua opera, optime meritum, quem in Dissertationibus Sacris & Ecclesiasticis, secuti sumus.

XII. Ignatius Hyacinthus Gravesonius, mihi semper in veneratione erit, à quo Historiae Ecclesiasticae studium libentissime coepti sumus.

XIII. Daniel Concina universae morum doctrinae praeceptor, Iacobus Hyacinthus Serri plurimorum Librorum Auctor illustris, Renatus Biluart doctrinae S. Thom. Cl. Interpres, assiduè legendi sunt.

XIV. Ecclesiae doctrina hoc saeculo invariata permansit, & proscripta & damnata sunt haereticorum adserta.

XV. Doctrina Moralis ad suam puritatem restituta est, reiectis opinationibus rationi parum congruis, & sententiis doctorum & piorum Virorum adaptatis.

Vt. Fr. Ioseph de Uriel,
Provincialis.

Potest Praelo committi.
Dr. Almarza, V.G.

Imprimatur.
Vargas.

Fernandez de Gatica, Cens. Reg.